



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

II. Beza Caluini jussu ad Comitem Palatinum proficiscitur, & fictam de  
Coena Domini confessionem edit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

V. Ioannes Casimirus Administrator & tutor Friderici, patris in Electoratu successoris, Lutheranis eiecit, Calvinisticam religionem restituit.

VI. Scholares Lutheranismi additi, discedunt.

I. Illud non tantum velut communi more receptum, verum etiam quasi lege sancitum in Germania passim observatur, ut *subditi vel Principum religionem quacumque illa sit, amplectantur, vel tamquam bestia sine ulla vivante religione*. Hinc fit, ut quotiescunque Princeps Nova doctrina afflatus, religionem mutat, mutare & ipsi religionem, & tamquam acus nautica, quacumque à magnete ducuntur, sequi cogantur. Necessè est itaque ut subditi cum Principibus ad Infernum aut Paradisum yadant; aut si ipsi apud ipsos conscientia quam obedientia & qui Principi debetur, respectus possit, suis fortunis venditis, collectisque sarcinis alio migrent. Mihi quidem hi priscois illis Gallia militibus similes videntur; qui dominis suis ita erant obnoxii, ut eandem cum ipsis fortunam, immo mortem quoque subire non vererentur. Nam quemadmodum Luna quæ pene nullum aliud lumen habet quam quod à sole mutuatur, illud ipsum quoque sole pereunte amittit; at rursus nato recuperat: sic miseri isti homines postquam à Catholica Ecclesia discesserunt, nullam aliam agnoscere videntur religionem quam eam, quam à dominis suis mutuantur; eamque cum ipsorum imperio sumunt, & cum morte deponunt. Subditis hic nullæ aliæ quam obediendi partes relictæ sunt. Hoc loco memorabilia aliorum stultitiæ & levitatis, aliorum vero calamitatis & miseræ exempla nobis occurrunt. O miseram miserorum hominum servitutem! qui conscientias suas aliorum libidini ita prostituunt, & non aliter quam prædia beneficiaria pignori & nexui addicunt. O duram & crudelem legem! quæ subditorum animos omnibus opinionum fluctibus exponit, & alienæ voluntati ac libidini adstringit.

II. Quomodo vero Palatinatus ad Calvinianum dogma amplectendum inductus sit, per principem suum nunc penitus inspiciamus. Ex Ruperto Rom. olim Imp. nobilissimi rami diversarum Familiarum in Germania descendunt, unus per Ludovicum II. alter per Stephanum natu minorem, filios Roberti Imp. An. 1410. defuncti. Horum Ludovicus II. dictus Barbatus item cæcus, An. 1429. moriens reliquit filios Ludovicum III. An. 1451. defunctum & Fridericum Victoriosum qui

ante mortem suam quam Anno 1476. obiit, Tutor factus & fidus Philippi Posthumi, è fratre suo Ludovico III. nati hic Philippus Posthumus obiit An. 1508. 11. Kal. Martii reliquerat filium minorem Electorem Ludovicum IV. dictum Pacificum. Is est qui oriente Lutheranismi & Protestantium secta, ipse plerumque pacis se arbitrum vel procuratorem inter partes interponebat, quamquam ipse Lutheri Novo Evangelio, seductus per suos Doctores, inhaereret. cuius adhaesionis Schismatica primum fructum tulit, ut sine benedictione propagandæ stirpis improlis obiret. Atque ita frater ejus Fridericus II. nativitate inter fratres tertius (nam natus secundus Rupertus jam An. 1504. obierat) Elector factus, An. 1546. 4. Ianuarii religionem pristinam [a] palam mutavit, Itaque & hic sine benedictione prolis decedens An. 1556. natus annos LXXIII. Successorem habuit Ottonem Henricum Filium Ruperti Virtuosi fratris sui, qui An. 1556. factus elector post patruum, Lutherani dogmatis fuit sectator, sed & illius breve imperium fuit & ipse nulla prole relicta decessit An. 1559. Ita Electoratus ad Stephani supra memorati filii Ruperti Imp. lineam alteram, nempe Fridericum III. qui fuit Ioannis II. filius, nepos Joannis I. pronepos Friderici Simmerensium & Spanhemensium progenitoris, abnepos Stephani ex Ruperto nati. Hic Fridericus III. Elector creatus An. 1559. Calviniani dogmatis fautor An. 1576. decessit relicto hærede Ludovico V. Electore, &c. iste vero An. 1583. moriens filios Fridericum IV. & Joannem Casimirum reliquit. His [b] prælibatis ob arcendam obscuritatem nominum in re nupera venio ad explicandum modum, quæ Calvinissimus omnium primò in Germania & quidem ab Electore præcipuo inter sæculares nimirum Palatino sit receptus. Accidit autem id hoc modo. cum inter Lutheranorum & Zvinglianorum Colloquia & disceptationes Fridericus III. Genevensis Confessionis à Saxonica valde discrepantis, frequentem mentionem fieri audivisset, eorum librorum qui ad eam pertinerent, mira cupiditate fuit accensus. Ea re animadvertsa, Calvinus, Argo in ejusmodi rebus oculatior, & in omnes occasiones propagandæ suæ doctrinæ intentus, Theodorum Bezam, è Francia fugitivum, Geneva ad eum ablegavit, ut Helveticam ac Genevensis Confessionem ipsi offerret. (Fabritius dicit Faellum ejus legationis

Fuisse  
[a] Reusnerus in opere Geneal. [b] Reusnerus in opere Genealogico.

fuisse socium) Nec illorum adventus ingratus fuit Palatino. Erant enim in Beza tum juvene adhuc multæ tam corporis quam animi dotes, & in primis grata quædam & amabilis facundia, ut quem tamquam alterum Aristippum omnis color & res decebat; vel qui se tamquam alter Alcibiades, omnium regionum moribus accommodare noverat: quibus artibus jam dudum Candidam illam suam, Parisiensis sartoris conjugem, in Veneris pellexerat rete. Nihil vero æque quam dissimulandi artem callebat, ut qui uno pectore duo corda gerebat. Et quemadmodum astutus imperator locum aliquem oppugnaturus, ad primum impetum nequaquam omnes vires educit, sed vineas & aggeres subinde propius muris admolitur, donec tandem fossam & vallum transcendat: sic Beza, quo Principem hunc acerrimum alioqui Lutheranum, ad suas partes traduceret, ad colloquium admissus, primum de intolerabili Galli tyrannide (sic enim Henricum II. regem appellabat) cuius iussu fideles (Novi scilicet, ex puteo abyssi tanquam vaporario emissi) vivi cremarentur, graviter conquestus fuit; deinde ad controversiam de cæna Domini tot disputationibus agitatum delapsus, verum Iesu Christi corpus & sanguinem sub speciebus panis & vini dari ac recipi confessus est, nulla facta fidei aut spiritualis, versuta & qua in omnes sensus torqueri potest, manducationis mentione. Tum vero Lutherani simplices adhuc gaudere, exsultare ac triumphare, velut jam in suam ditionem redactò præcipuo Sacramentarium duce ac Legato. Nec mora: res ubique dispatatur, & à Palatino ad Ducem Wirtembergicum non sine gratulatione perferibitur; magni triumphi opera & pretium, qui mihi simillimus videtur ei, quo Phryges equum Duratæum à Græcis constructum in urbem receperunt. Beza conciliato sibi hac ratione Principe, ad Calvinum reversus, Legationis successum exponit: qui cum falsitatis & perfidiæ à Tigurina Ecclesiæ Ministris accusaretur (nā rumor ediderat jam Bezam in Lutheranorum sententiam concessisse) respondit, id eo à se factum, quod animadverteret caecos illos Lutheranos ad Evangelii lucem aliter adduci non posse, ut qui minime intelligerent, quomodo verum Iesu Christi corpus in cæna Domini fide tantum perciperetur. Non leonina semper; sed vulpina aliquando utendum. Sic enim animarum illi ludificatores loquantur. Idem tamen homo eodem ore profiteretur multis in locis aitq; Christi corpus in cæna non magis recipi quam in Baptismo. E contrario vero in libro suo II. De Sacramentis, Nos, inquit, confitemur

Christum in cæna præsentem esse, non per imaginariem, sed corpore suo circumdatum; in quibus omnibus loquendi formulis vafriciem suam desultoriam abscondunt Calviniani Ministri. Reliqua ejusdem hominis tam quæ ad doctrinam quam ad vitam pertinent, ad eum locum remitto, ubi de Colloquio Possiacensi tractabimus, ne res Gallicas cum Germanicis confundamus. Illud tantum verbo dicam; his artibus omni in re Bezam semper fuisse usum, & instar polyphi, omnium ingenitis quibuscumque ipsi negocium erat, omnique temporis ac loco sese accommodasse. Ejus rei ecce tibi notabile exemplum. Quum Anno M.D.LXII. regnante Henrico II. Sacramentarii, qui falso Lutherani videri volebant, ad supplicia passim traherentur, illi qui Genevæ, omnium Sacramentariorum asylum (ut libro VIII. exponam) profugerant, Legatos in Germaniam miserunt Gulielmum Favellum, Theodorum Bezam, Gasparum Cærmelum, & Joannem Budæum, magni illius Budæi bonarum litterarum parentis, filium (quem quidem, ut hoc obiter addam, Beza in suis Iconibus, velimus nolumus, persuadere nobis vult, de religione non idem; quod Catholicos sensisse. In quo eadē, qua in ceteris fide, utitur. Budæus enim de patre loquor, receptis ex instituto Ecclesiæ Sacramentis, in suis ædibus quæ sunt in vico S. Martini, decessit, in parochia S. Nicolai in campis, sepultus. Anno 1549. [a] Quod vero sine ulla pompa sepeliri voluit, non hæreseos, sed modestiæ est argumentum: Sed ad rem.) Legati illi, ad Protestantes Principes eo missi, uti intercessionem pro ipsis ad Galliam regem impetrarent, quum eo tempore in Germaniam venissent quo conventus VVormatiæ habebatur nimirum mense Augusto, ut cap. VII. velatum est hoc ipso libro, Augustanae Confessionis doctoribus Fidei suæ Confessionem eidem plane conformem exhibuerunt, ut Historia Cænae Augustanae testatur. Atque ea versutia, etiam ipsos Lutheranae factionis præcipuos Doctores Wormatiæ congregatos ferme deceperunt, nisi quidam Zelotæ Melanchthoni infens; per ejus latum ipsos quoque Sacramentarios confodere in animum induxissent. Si quidem is Sacramentarium causæ renitentibus cunctis serio Lutheranis, colludere cum eis videbatur. Sane Wolfius auctor est hanc Cōfessionis simillimæ exhibitionem Melanchthonis factam esse opera; qui hoc modo Bezæ causam favorabilem reddere voluerit: sed Protestantes id negant, quum ipse Melanchthon in

[a] Vide Testamentum eiusdem in Antiq. Paris. cap. 43. fol. 414.

epistola ad Ducem Wirtembergicum conqueratur, articulum de Cœna Domini in Confessione illa non satis dilucide esse explicatum, quem tamen ait in Synodo aliqua legitime congregata plenius ac melius explicari posse. Id nihilominus tunc ea Confessionis sua amphibologica exhibitione Calvinista effecerunt, ut Melancthon Sacramentariis Zwinglianis, & in eis Beza anathematizare noluerit, & Genevenses Beza artibus Augustana Confessione sese insinuarerint, ac sub eius nomine latuerint, quo scilicet tanto facilius à Protestantibus auxilia impetrarent, de quibus a libi opportunior erit dicendi locus. Nunc paucis mores hujus Protei indicare volui: qui ad suos reversus, factum hoc suum zelo fratrum è captivitate Gmiserius liberandorum excusavit quidem, non tamen omnibus probavit.

III. Elector Palatinus, lectis Calvini libris e jusque Catechismis in Germanicam linguam translatis, tum frequentibus Calvini, nullam occasionem præmittentis, epistolis sollicitatus, ac præterea Lutheranæ religionis, cui novitatis gratia jam decesserat, sator, uti Pater ejus Joannes II. avi sui Joannis I. ita & ipse patris sui religionem deserere, & Calvinismum amplecti statuit. Lutherani doctrinam hanc à Clebitorio ætate & ingenio feroci homine primò in Palatinatu sparfam ac traditam ferunt. Sed & Melancthon, à quo Princeps per litteras consilium rogaverat, Sacramentariorum partibus favisse dicitur; eoque nomine hodieque apud Lutheranos execrationi habetur. Quum vero neminem in tota Germania reperiret, qui ad hoc reformandi munus satis videretur idoneus; à Calvino hominem aliquem, sanctæ, ut ipse censebat quidem, sed lubricæ ac periculosæ provinciæ parem; mitti sibi petiit. Non enim ignorabat, huic suo instituto omnem fere Germaniam, tum in primis præcipuos Augustanæ Confessionis doctores ad versaturos. Calvinus, habito juvenitatis in sua schola educatæ delectu, Daniele Tossanum Aurelianensem, satis postea Germaniæ notum, ad hanc provinciam delegit, & præceptis bene oneratum dimisit: cui Rheni Palatinatus Calvinismum debet acceptum. Is postea hinc inde ac præsertim Basilea, laboris sibi socios adscivit, & Principis jussu per oppida & agros passim distribuit, cum mandato, ut subditi aut novam illam Genevensem Confessionem, Verbo Dei, scilicet, conformem, amplecterentur, aut cum rebus suis alio commigrarent. Hoc modo Calvinismus in Palatinatum Electoralem fuit introductus. Ceterum hac de mutatione certior factus Joannes

Fridericus Dux Saxonie Vinarius Princeps Lutheranus, qui filiam Palatini Elisabeth dictam An. 1558. pridie Id. Jun. ductam in matrimonio habebat, ægerrime factum hoc tulit, ipseque Heidelbergam profectus, Theologos aliquot, inter quos erant Maximilianus, Martinus, & Joannes Stoffelii, secum adduxit, qui cum novis illis Calvinisticis Prædicantibus de controversis inter eos religionis articulis conferrent. Inter hos quum Thomas Erastus Principis Medicus & in Philosophia exercitatus disputandi in se provinciam suscepisset, Stoffelius, Facile iam, inquit, video, vestram causam male habere, ut qua Medicis opus habeat. Sed in hac tota re non Deo gloriam, sed suum quisque honorem ab utraque parte querebant.

IV. Sed quemadmodum Friderici Principis levitas Calvinismo aditum aperuit; ita successoris Ludovici V. inconstantia nondum adultum ex omni ditione rursus profligavit: Triennio enim post Fridericus II. mortuus tres filios reliquit, Ludovicum, Joannem Casimirum & Christophorum: quorum duo natu minores Calvinismum sequebantur, ille vero, in quem ut natu majorem tam imperium quam dignitas Electoralis derivata fuerat, rerum potitus nihil prius habuit quam ut Calvinismo, quem numquam approbaverat, ejecto, avi religionem sive Lutheranismum velut postliminio restitueret. Sic igitur Calvinistis qui cum Tossano Geneva & aliunde venerant, cedere coactis, & in eorum locum Lutheranis substitutis, in templo Heidelbergæ primario, quod S. Spiritui dedicatum est, Principis mandato organa Musica, baptisteria, altaria, Crucifixi imagines, & alia ornamenta Ecclesiastica, quæ Calvinista, quibus sicca, macra, & omnibus ceremoniis denudata placet religio, penitus amoverant aut confregerant restituta sunt. Quinetiam ut calices aurei & argentei fierent ad Cœnæ Dominicæ usum, viritum indictum fuit tributum: quos deinde post mortem Ludovici Joannes Casimirus involavit, & in alios usus convertit. Ad Calvinisticam enim cœnam vitrum aliquod vilis precii, uti quibus merum vinum contineri & propinari debet, sufficit, & quorum Deus vasa preciosa ad sui cultum minime desiderat. Nec vero Heidelbergæ tantum, sed & per universum Palatinatum reformatio hæc instituta & executioni mandata fuit, addito mandato, ut subditi omnes abjecta Calvinistica, quam vix primis labris degustarant, Lutheranam religionem amplecterentur. Sed paucis post hanc reformationem annis Ludovicus